FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT...

Franz Ernst Bruckmann



36

FRANC. ERNEST. BRÜCKMANNI,
MED. DOCT. &c.

EPISTOLA ITINERARIA XXX.

SISTENS,

MEMORABILIA ERFVRTENSIA

AD

VIRVM PLVRIMVM REVERENDVM, AMPLISSIMVM ATQVE DOCTISS. DOMINVM,

DOMINVM

FRID. CHRISTIAN. LESSER,

VERBI DIVINI MINISTRVM NORTHVSANVM AD MONTEM MARIÆ VIRGINIS FIDELISSIMVM, MERITISSIMVM,


ET

ORPHANOTROPHII ADMINISTRATOR. GRAVISSIMVM,

FAVTOREM ET AMICVM CARISSIMVM.



WOLFFENB. MDCCXXXIV.



VIR PLVRIMVM REVERENDE, AMPLISSIME ATQVE DOCTISSIME, FAVTOR ET AMICE CARISSIME!

ERfurtum, urbem amplissimam & totius Thuringiæ metropolin, *Vir plurimum reverende*, plus vice simplici, & ultima Anno 1725. Mense Januar. visitavimus. In centro Germaniæ positum esse perhibetur. Circa hanc urbem, spatio quatuor milliarium XXVI. urbes & civitates aliæ & 400. pagi, quorum incolæ uno die Erfurtum, ut victualia sua in foro vendant, proficisci, eodemque ad lares suos commode redire possunt, observantur. Urbs, cum amplissimo suo districtu, de anno 1664. ad Electoris Moguntini dominium pertinet. Bina ad urbem sunt castella munita, vulgo Citadellen, in montibus sita 1) in Monte St. Petri, in quo prædives monachorum Ordinis St. Benedicti, Benedictiner, vulgo Peter-Mönche/ mona-

monasterium, quod à Rege Francorum, Dagoberto, sed falsè, conditum & fundatum creditur. Confer. Paullini philosophischer Feyer-Abend. p. 455. 2) castellum Cyriaci, die Cyriacks-Burg. Reliqua monasteria sunt (a) Canonicorum collegium (b) Societatis Jesu. (c) Ordinis St. Augustini. (d) Carthusianorum & (e) quatuor virginum sacrarum claustra. Ecclesia cathedralis est magnum, amplum & præaltum ædificium, in quo campana omnium in Germania obviarum maxima, cui sub baptismate nomen *Mariæ Claræ Susannæ* dederunt, suspensa miratur, altitudo ejus octo ulnas, quinque cum dimidia uncias, attingit; maxima in parte inferiori circumferentia est XXVI. ulnarum & unius unciæ; media est XIV. ulnarum, unius cum dimidia quadrantis; integra moles ponderat 270. centenar: vel, juxta alios, 25400. libras. Zeilerus in Itinerar. Germaniæ aliud pondus, & a jam dicta diversam affert peripheriam, p. 397. & sequenti modo de hac campana gigantea loquitur, quod sit nempe quatuor cum quadrante ulnas alta, pistillum vero unam cum dimidia & octava ulnæ parte; circumferentiæ mensura sit XIV. cum uno & dimidio quadrante, ulnarum. Hoc mirandum, imo certe stupendum artificium, Ao. Ch. 1497 ab Eberhardo de Kempen (alii fusorem vocant Gerhardum Woje) fusum, a Johanne Bonemilch de Lasphe baptizatum &, in fonte sacro, *Susanna* nominatum fuit. Crusius L. XII. part. 3. Annal. Suev. c. 22. f. 799. Hic baptista, die 19. Febr. Anni 1483. Erfurti antea in Doctorem Theologiæ creatus fuerat uti Autumnalia Theol. fructificant: in Erfurt. Ao. C. 629. testantur. Hæc omnium campanarum avia, die vor die Groß-

 Mutter

Mutter aller Glocken passiren kan / pertinet ad Electorem Moguntinum. Versus in ea leguntur sequentes:

Die grosse Susanna,
Treibet die Teufel von danna.

quando pulsatur, 24 homines robusti istam prius in motum agunt; clangor istius obtuse sonorus & murmurans, cœlo sereno existente, ad quatuor milliaria Germania auribus percipitur Ao. 1557. senator quidam Erfurtensis ex Melanchthone, cum campanam dictam magnam pulsarent, quæsivit: placeretne ei egregius sonitus hujus campanæ? responsum iste dedisse fertur: Magnos magna decent, grosse Herren müssen grosse Schellen haben! sciagraphiam istius nondum vidimus, nec accipere potuimus. Erfordiensis quidam amicus sequentes ibidem in campanis obvias nobiscum communicavit inscriptiones: in campana turris St. Pauli legitur:

Ao. 1473. Non me subsanna cum sit michi nomen Osanna.

turris omnium sanctorum:

Ao. 1495. O rex gloriæ veni nobis cum pace amen.

turris St. Michaëlis:

Ao. 1466. Hilf GOtt / Maria / Berat.

turris St. Severi.

Marta vocor rite, voco sic ad sacra venite. 1475.

turris St. Georgii.

Vox mea vox vitæ voco vos ad sacra venite. 1483.

turris St Bartholomæi:

Te adoramus omnipotens. 1481.

Sit

Sit nomen domini benedictum. 1481.
in unâ campanâ turris St. Thomæ:
Ave Maria gratia plena, Dominus tecum benedicta tu †
in alterâ:
Iſraël hat dennoch GOtt zum Troſt. Pſ.
in unâ campanâ turris St. Petri:
Deo trino nos commendato benigne petre.
in alterâ:
Paulus ſum, laudo Chriſtum, laudes date mecum.
in campana turris Scotorum:
ſum Jacobus dicta cum perfero fortius icta.
turris mercatorum, Kauffmanns-Thurm / ſcriptura annorum notatu digna:
Anno Dn. XVCVIII. goß mich Heinrich Ziegler (1509)
Ao. Dn. XVCXXI. conſolor viva fleo mortua pello nocivia.
Ao. Dn. 1672. Ad templum voco ſed templum non viſito, contra cum voco te lætans ad ſacra perge, cito cymbalum æs reſonans ego tinnio, ſed tibi clango, fac ut ſis ſummi plenus amore Dei.
turris zum Beglern:
En ego campana nunquam pronuncio vana Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum. 1602.
turris St. Mauritii:
Anno 1550. Verbum Domini Manet In Æternum.
turris templi cathedralis.

Maria glorioſa, quæ ponderat 275. centenar: peripheriam habet 14 $\frac{1}{4}$ ulnarum, ſingulæ metalli libræ octo argenti ſemuncias continere dicuntur, de ſequenti gloriatur inſcriptione: Laude patronos cano

gloriosa fulgur arcens & dæmones malignos sacra templis a populo sonanda carmine pulso. Erhardus von de Kampis me fecit 1497.

Supra hanc magnam, & quatuor minores sic dictæ, Silber-Glöckgen suspensæ hærent, quarum prima 1492. secunda 1525. fusæ, reliquæ binæ nullam anni fusionis notam habent.

Cum aliquando Suevus quidam simplex Erfordiæ templum cathedrale summa cum admiratione adspiceret, dicebat cuidam proxime adstanti: pulcherrima certe hæc domus est! hic respondebat: verum est, & ædificata ad modum architecturæ Italorum. Vix hoc perceperat stupidus Suevus statim ex hoc quærebat: sit ne hoc in loco ædifactum hoc templum? minime, regerebat alter, sed sex homines humeris suis validis istud ex Italia huc apportarunt Eja! Eja! rursus respondebat Suevorum hic simplicissimus, credo admodum delassatos, ob ædis magnificæ molem prægrandem & itineris longitudinem, hic advenisse!

Plures dantur in orbe magnæ circumferentiæ & ingentis ponderis campanæ; Gandavensis in turre Belfart, quæ Roland dicitur, ponderat 11000. libras. Pechinensis in China est 120000. librarum, pedes undecim in diametra habet, & altitudo ejus ad duodecim ascendit. Nanquinensis, in eadem terra, est 50000. librarum, diameter est septem, & altitudo undecim pedum, quæ Erfordiensem pondere & magnitudine adhuc multo superat De Erfutensi & aliis magnæ molis campanis confer. Happelii Relat. Cur. Part. I. p. .67

In dicto templo cathedrali duo olim sanctorum corpora,

corpora, Adolarii & Eobani, in arca ſepulchrali argentea dormiverunt, quæ vero Ao. 1525. in alium locum, cur & qua occaſione? neſcimus, repoſita fuerunt; ex loculi autem argento nummi die Sarg-Pfennige dicti, cuſi ſunt. Porro in hoc templo Canonicorum requieſcit Comes quidam de Gleichen cum duabus ſuis cariſſimis coſtis, quarum una Comes Germanica, altera Turca fuit. Sepulchrum harum perſonarum, quatuor pedes altum, loco elatiori in medio ante altare, das hohe Altar dictum, videndum. Imagines in lapide exciſæ & expreſſæ ſequenti ordine obſervantur: Comes in medio, cui Comes Germanica ad dextrum, Princeps Regia Turcica autem ad ſiniſtrum latus quiete dormit. Hæc ſepulchri inſcriptio a non nemine excogitata fuit:

Zwey Weiber liebten ſich als Schweſtern, mich als Mann,
Die eine folgte mir und ließ den Alcoran,
Die andre wolte bey der Rückkunfft mich nicht laſſen,
Erſt muſt uns drey ein Bett, und jetzt ein Grab umfaſſen.

Turris templi St. Auguſtini, Evangelicæ fidei addictis in præſenti dicati, nullum habet tectum, ſed lapis planus & amplus, in medio perforatus, per quod foramen extra turrim aſcenditur, iſtam tegit. Ambularum circa turrim rotundum ex lapide ſtructum eſt, cui annulus ferreus lapidi, mediante plumbo fuſo, firmiter impactus, inhæret, cum articulo, in quo tempore memoriæ dedicationis templi, Kirchweyh / vexillum quoddam ponitur & firmatur. Cum vero hic annulus a petulanti juventute interdum mox aperiatur, mox vero claudatur, multi, hujus rei inſcii, putant, hunc annulum eſſe hygrometrum, quod inſtante cœlo pluvio apertum, ſe-
reno

reno vero clausum sit, quare sæpius id aspiciunt. Umbra hujus in terra annulum clavis repræsentat.

Weinrichius in der Ao. 1713. in 8v. edirten Nachricht von Erfurt, p. 8. inquit Erfurti in sic dicto templo Augustino Evangelicorum vetus ex lapide monumentum cujusdam opilionis, qui primus hic loci oves in pascuo viridi habuit, prostat. Dolendnm, literas in hoc, quod ad majorem partem, vetustate temporis jam corruptas, forsan alias plura egregia hujus urbis natales & historiam illustrantia documenta ex eo sumi possent. Inscriptio hujus epitaphii sequens est:

Anno Dm MCCCCLXII. in trac imo beate Walpurg virginis obiit theodericus brunonis cujus anima requiescat in pace amen. arma parentum patris & matris Vestis coriacea, quam Coller vulgus nominat, qua indutus it. insignia lapidea juxta posita, in quibus cornu excisum spectatur, dubio procul ex homine hic sepulto opilionem fecerunt? Hæc inscriptio anno 1472. facta est, cum urbs Anno Chr 15. jam initia sua sumsisse perhibeatur, si fides narrationi in folio Ao. 1646. nomine Senatus Erfordiensis editæ p. 8. habenda, in qua hæc leguntur verba: „Es ist aus denen Historien bekandt, „daß die uralte Düringer Stadt Erffurth, welche von Erffen, „dem Heerführer der alten Catten (so ums Jahr Christi 15. 60 in „163 selbe Gegend bewohnet) und einen Furth, den er daselbst „durch das Wasser, die Gehra, gemachet, und darbey vermuth„lich zur Speisung seines Heers eine Mühle gehabt, ihren Nah„men erlanget.

In sic dicto templo, Evangelische Barfüsser Kirche/ adest cujusdam infantis epitaphium quod Dom. Prof. Tiemroth seiner teutschen Poësie 8v. Erfurt. 1708. p. 86. ob versus jocosos, inservit:

Johann

Johann Fabian, meines Alters war ich dritte-
halb Jahr.

„ALs man schrieb 1600. Jahr
„ Und 72. die Jahrzahl war
„Da man das Werck auf neu fing an
„Zu renoviren die Orgel schon
„Am Sechszehenden Tag des Meyen
„Zur Vesperzeit gar bald nach Zweyen
„War dieses Junge Kindlein klein
„auff das Gerüst geführt herein,
„Und als man hielt die Kinderlehr
„Da fiel das Kind herunter her
„Vom Mittel-Gerüst auff das Gestühl
„Da ward ein End seines Lebens-Ziel
„Sein Häuptlein es zerschmettert sehr
„Das Gehirrn lieff ihm heraussér her
„Hinten am Haupt der Hirren-Schalen
„Zwo Wunden in die Stirn gefallen,
„Sein Vater Gregor Fabian
„Hatt warrlich schlechte Freude dran
„Und als er damahls nicht zu Hauß
„Richt die Mutter das Begräbniß aus
„Vor grossen Leid das sie hat
„Kam sie nicht an die Leydestatt
„Ach GOtt behüt all Eltern Hertzen
„Für solchen und dergleichen Schmertzen
„Und nehm uns in sein Reich zusammen
„Wer das begehrt sprech mit mir Amen.

Ex hoc inpr. quæstio quædam medico-legalis notanda:

Hinten am Haupt der Hirren-Schalen
Zwo Wunden in die Stirn gefallen.

Quær. Wo diese Wunden gewesen?

Orphanotropheum Evangelicorum istis, qui urbem

transeunt, biblia sacra, optimis coloribus picta, & variis gemmis coloratis artefactis, vulgo Flüssen / in involucro condecorata, quæ Stoffel, Eremita quidam, huic domui olim dono dedit, proponit. In pariete conclavis, in quo hic sacer codex servatur, hæc verba obvia erant:

Qui pit rem tem pit rem
ca uxo li ca atque dolo
qui ret re te ret re.

Quæ vero ante tres annos, cum quibusdam Romanæ religioni addictis offendiculo fuissent, prorsus deleta sunt.

Fundationem Academiæ Erfordiensis Josephus a Pinu Averbachius Lib. Eteostichorum in seq. annotavit:

Propter aqVas Geræ fVnt ftrVCta theatra ThIrIngI, (1392.)
In qVIbVs AonIDos DoCta IVVenta CoLIt.

In hac universitate divus Lutherus, cujus cella in monasterio Augustinorum, jam orphanotropheo Evangelicor. hodieque videnda, vixit.

Professores Mad. in hac academia, cum istam visitarem, erant 1) D. Joh. And. *Fischer*, facult. med. Decan. senior, nec non pathol. & prax. P. P. primarius. 2) D Joh. Frid *de Pre*, Eminentiss. Elect. Mogunt. Consil. aulic. & Archiater, Anat. Chir. & Botan. P. P. 3) D. Hieron. *Ludolff*, Consil. & Archiat. Elect. Mogunt. Chymiæ P. P. 4) D. Hermann. Paul. *Juch*, Sereniss Ducis Saxo-Vinariensis Consil. aulic atque Isenacensis consil. & archiater, Prof. Med. P. 5) Laur. Theoph.

oph *Luther*, Med D. & Prof. P. Extraord. Ex his Excellentiss. Dn. *Fischerum*, de *Pre* & *Ludolffum*, viros doctissimos & consultissimos, salutavimus, cumque his amice colloquuti sumus

In hac urbe & Evangelica & Romana floret religio. Membra Academiæ & senatus utriusque sunt religionis. Consules & senetores omni mutantur triennio, hinc nunquam non, quæ unus eperose construxit, alter rursus dejicit & damnat.

Signum urbis mnemonicum, das Wahrzeichen / est aqua, quæ decussatim super aquam ternis vicibus in urbe fluit, nempe in platea Augusti, ad portam, innere Krämpffer-Thor dictam, & ad Carthusianorum monasterium.

Molitores hujus urbis facete & jocose fures privilegiati dicuntur, ex hac causa, qua in cæmeterio S. Mauritii in fornicibus, per quos fluvius Gehra transit, hæc inscriptio in lapidem incisa legenda:

Die Müller sind Diebe-
Wahrer des Wassers.

Quod epigramma, ob divisionem verbi Bewahrer, & connexionem articuli Die & syllabæ be, singularem habet sensum. Forsan lapicida, vel joco, vel serio, vel ex simplicitate, in hac inscriptione, loco die Bewahrer, posuit Diebe-Wahrer? cum initium novæ lineæ statim cum ultimo verbo fecerit; putatur esse alterum urbis signum mnemonicum. In foro caballino fortis adest murus, sub cujus fornibus Gehra fluit, super hunc aliquando fluvius transiit, uti ex Chron. MS. & inscriptione seq. lapidis judicatur:

Anno Domini 1374. feria sexta ante Dominica Esto, fuerat magnum alluvium aquarum levius terræ.

In via, quæ Erfurto Arnstadium ducit, Steiger dicta, crux lapidea erecta est, in qua sacerdos flexis genubus, erectisque manubus delineatus, super quem hoc chronostichon cernitur:

HIC eſt oCCIſVs MagIſter HenrICVs De ſIebeLeIben ſaCerDos (2566. per diviſ. 1283.)

in hoc loco, an. 1289. arx quædam nobilium, juxta ac 60. spoliaria, Raub-Schlösser circum circa in vicinia posita, ab Imperat. Rudolpho eversa & deleta sunt.

Ad portam Johannæam hæc inscriptio legitur:

Anno Domini 1286. ædificata est ista valva.

Reliquæ templorum & turrium inscriptiones post annum 1472. quo Theodoricus Burckarti, monachus ex Scholarum vel Mariæ Porta, jussu & consensu Apels de Vitzdhom Erfordiam duodecim diversis in locis inflammaverat, factæ sunt. Hic sceleratus incendiarius, forcipibus ignitis vivus vellicatus & dein flammis urentibus crematus fuit. Scapularium istius in Curia senatoria, & quidem in isto tabulato prope cistam, in qua manus detruncatæ & torrefactæ hominum improborum, in Imperatorem perfidorum jacent, hodierno die adhuc conservatur.

Non procul a porta, Schmidestädter-Thor/ ad latus sinistrum lapides quidam cum literis Hebræis offenduntur. MSS. quædam Chron. tradunt, quod gens Judæa istam mœnium partem a porta Krämpffer-Thor ad portam usque Johannis, quem urbis tractum eo tempore habitaverint, exstruxerit, & murum lapidibus his quadratis, in quos libri quinque Mosis literis Hebraicis incisi, texerit. Sed potius credendum, esse tantum lapides Judæorum sepulchrales. Ao.

Ao. 1609. cerdo quidam, qui pelles subigit, ein Weiß-gerber, And. Kallenberg, in domo ad Greiffenstein, juxta Cœli portam, nuptias celebravit; cum vero magnus convivarum numerus in duobus, quorum unum super alterum erat, conclavibus pranderet, ob ingentem hominum molem pavimentum inferioris & tegmen superioris hypocausti collapsum, qua ruina 20. personæ momento citius oppressæ. Inscriptionem hujus domus, quæ hodierno die adhuc legitur, sed viginti annos ante hoc infortunium cruentum adpicta jam fuit, in malum omen traxerunt:

O Mors cur Deus negat vitam super
15. be te bis nos bis nam. 58.

quando semper unum verbum ex prima, & unum ex tertia linea, cum verbo: super: secundæ lineæ, sumitur, iste sensus erit:

O superbe, mors super te, cur suberbis?
Deus super nos negat superbis vitam supernam.

Cum multorum locorum incolæ certis dicteriis afficiantur, & Erfurtenses titulo ignominioso: **Bachtröten**, deducto ab Ethnicorum idolo *Bacbrot*, quod ad gradus Beatæ Mar. Virg. olim cultum fuit, dehonestantur. Imago hujus, in lapidem incisa, ad templum cathedrale adhuc videnda.

In multis Erfurtensium monetis signa chymica ♀, ☿ reperiuntur. Sunt, qui putant, Erfurtum multis retro temporibus, plures præcipuos in se continuisse alchymicos, qui, cum urbs metallifodinas non habuerit, & tamen nummos cuderit, aurum & argentum arte secreta philosophica conflaverint, ex quibus metallis monetæ cum signis ♀is, ☿rii sint cusæ. Alii characteres dictos putant esse tantum signa monetariorum.

Nu-

Numerus incolarum præterpropter ex ſchedulis demortuorum, Sterbezettul / quæ quotannis ſub novi anni auſpicium diſtribuuntur, computandus. Spatio quadraginta annorum, ab anno 1692. uſque ad annum 17[illegible] incluſive: hic mortui ſunt. Baptizati. Connubia celebrarunt.

19911.	2[illegible]432.	6351.

Vetus conſuetudo jubet piſtores ibidem ſingulis annis, die S. Marci, panes rotundos, admodum parvos, thaleri magnitudinem non attingentes, pinſere, coquere, *St. Marx*-Brote vocatos, & vendere, in memoriam iſtius acris annonæ, qua Ao. 1438. in Thuringia panis talis minor pro tribus nummis vendebatur.

Olera & omnes herbæ ſativæ, quæ in uſu cibario eſſe ſolent, hic loci læte proveniunt & admodum ſapida ſunt; inpr. laudantur raphani, qui omnium optimi, maximi & nigerrimi hic creſcunt. Quando in urbe comeduntur, vulgum reddunt diſertum, ita ut urbs, ſecundum proverbium, ab advenis ſpatio trium milliarium in peripheria percipi poſſit, wenn man die Rettige in Erfurt iſſet / kan man die Stadt auf 3. Meilwege in der peripherie riechen / ſed eſt ſcomma, raphani enim ructus odoratotos movent. Quod ad *Glaſtum* ſ. *Iſatis* plantam, Weit Wäydt, Färberkraut, quæ copioſe olim Erfordiæ & in vicinia culta fuit, coloremque ex ea paratum pro tingendis pannis, Weydfarbe, attinet, hoc vegetabile hodie quidem adhuc, ſed minime tam copioſe, ac multis retro annis, plantatur. Thuringia olim uti notum, propter tres W. celeberrima fuit, ſecundum verſus.

Conciliare ſolent tria W, nomenque decusque.
Waid *Woll und Weitzen*, *terra Thuringa tibi.*

vel; ſecundum alios, propter XI. W. nempe *Weyd*, Wald,

Wald, Wachs / Wasser / Weitzen / Wein / Weiber / Welsen / mores & consuetudines, Wild / Wiesen / Wolle / quæ omnia hodieno die adhuc in & ad Erfurtum offenduntur. Glastum in specie olim ubique ferme locorum in Thuringia uti rudera molarum & lapidum, der Weyd-Mühlen und Steine / perubique testantur, cultum fuit; his nostris vero temporibus tantum Erfuti, & quidem in tractu quodam Occidentem versus, plantatur. Erfurtum inter & Gotham sequentes pagi: Zimmern / Tröchtelborn / Nottleben / Pferdingsleben & Friemar; qui omnes in peripheria unius horæ positi sunt, culturam Glasti, alias admodum copiose propagati, negotiosam exercent & conservant. Et licet pagi, Pferdingsleben & Friemar / ditionis sint Gothanæ, immediate tamen ad Territorium Erfurtanum siti sunt. Imo videtur, naturam huic urbi unice Glasti conservationem tribuisse, dum color Glasti Pferdingslebiensis, (qui pagus, ratione juris patronatus, ad Dictionem Gothanam pertinet) isti colori, qui in pagis Zimmern & Tröchtelborn (qui integri in Erfurtensi dominio sunt) paratur, quod ad pulchritudinem & exaltationem non convenit, sed hic isto multum superior est. Isatis planta, quæ & circa Jenam & Gotham sponte provenit, hoc modo in agris colitur: semen, Pastinacæ semini, nisi quod paulo longius & cœruleo colore imbutum sit, admodum simile, tempore verno in terram bene stercoratam & dente unco reclusam plantatum, non multo post germina emittit, & plantam pinguem & fortem, quasi fruticosam, ex terra in aëra protrudit. Folia à Plantaginis foliis non multum distant. Hoc vegetabile quotannis, bis vel ter, prout pluvia, quam avide sitit & imbibit, copiosa depluit, instrumento ferreo super terram, relictis radicibus, desecatur, ad molam lapideam magnam, quam equi rotant, portatur, in qua minutim frangitur; Massa hæc postea, quando prius per duos vel tres dies, in cumu-

lo

lo coacervata, parum fermentata, in globulos cogitur, qui in cratibus ficcati in forum Erfurtenſe integris plauſtris venales vehuntur. Hi globuli porro in certis ad hos adaptatis pavimentis comminuuntur. *Glaſtum* odorem fortem longe de ſe ſpargit, inpr. quando in cratibus exſiccatur, &, licet hic odor illi, qui prima vice iſtum naribus deguſtat, viroſus & ingratus videatur, nemini tamen noxium, ſed potius anheloſis, aſthmaticis, pectorisque affectibus laborantibus admodum proficuum. Flores Glaſti, **Weid-Blumen**, præparantur cum calce viva, furfuribus, creta, ſale Ammoniaco, rubia tinctorum. Glaſtum per ſe in uſum venit in augina. Paratur inde ſal volatile ſine igne, & ſpiritus, cujus præparationem vide in Wedelii Compend. Chymiæ p. 47. 50. Ruſtici hos globulos macerant aqua, quam bibunt vaccæ, porci, &c. hacque medela à multis morbis pecora ſua præſervant. Ante, quam Indigo in Europam & Thuringiam apportabatur, numerus globulorum ſexagenus, ein Schoock, floreno vendebatur, magnaque mercatura (quæ, teſte Caſp. Schneiders in Saxonia vet. & magna in parvo. p. 19. Thuringiæ quaſi aureum vellus erat) cum hiſce exercebatur; hodie vero, poſtquam copioſa Indici ex India apportatio molas, die Weyd-Mühlen, exarbeſcere fecit, talis quantitas duobus groſſis emenda. Glaſtum æſtivale, **der Sommer-Waid**, quod prima, 2da & 3tia vice deſecatur meliorem dat colorem, quam ſic dictum **Rummiß-Waid**, i.e. quod in agris hibernavit, & verno tempore, antequam in ſemen abiit, reſecatum, molæque traditum, quare & numerus, ein Schoock dictus, globulorum ex iſto Glaſto paratorum vix bono groſſo vendendus. Plura de hoc vegetabili vid. in Amanni manud. ad mat. med. p. 31. Bernh. von Rohr Haußhaltungs-Bibliotheck. p. 447. Wedelii Exercitat. medic. philolog. ſacrar. & profan. Cent. I. Dec. IV Exercitat. IX p. 42. it. Laurentii Niska Weyd-Bedencken, d. i. Urſachen und Mittel, wie und warum dem Lande zu Düringen die durch den Weyd-Bau und Handel-gehabte Nahrung zu reſtauriren. 4t. Erf. 163. mit Holtzſchnitt. Vale, Vir amiciſſime, Deus Te diu ſervet, ut porro nos ames.

Wolffenb. d. 10, April. 1734.

T. T.

Brückmannus. D.